



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Somnolentia & negligentia pastorum populi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Id quod statura pusillus, falsò diciturò notavit, dicens: *Superiora magnarum adium non habitari*. Eleganter Phauorinus philosophus: nihil in terris magnum præter hominem: nihil in homine magnum, præter mentem. Sic sternit parva spatiosum vipera taurum. Sic David fundâ dejecit formidabilem Goliathum; ibique mortem intulit, ubi nullum munimentum invenit, scilicet in cerebro, quod ictui patuit, quia sine mente fuit. In eo quoque sagax Vlyssis ingenium apparuit, quòd lanigero sub grege latens, cum sociis evaserit. Rides fabulosum strategema? historicum audi. Circa annum 1311. Rhodus insula simili astu ab Equitibus S. Joannis capta est. Adverterat Equitum Præfectus pastores quot-diebus ovium greges manè educere, & sub obscuro vespere reducere. Immixti his plures milites pelle ovina tecti, manibus & pedibus reptantes; ipse verò Dux habitum pastoritium indutus subsequatur: primò portis, deinde urbe & insula potiti sunt. Henric. Engelyran. in Pantheo, festo Nativit. Domini. §. 2. ubi vitiosè annotatus annus.

II. (b) Polyphemo exitium vinum quoque attulit, nam maximos quoque in ruinam impellit temulentia. Et tamen pastor erat, quem vigilantia decebat, & cura pecoris. Væ ovibus, quarum custodes uno tantùm præditi sunt oculo, hoc est, modico prudentiæ lumine, & hoc ipsum perpotandi libidine obnubilant, obscurant, obtenebrant, extinguunt! Cæco ductore, quæ spes est gregi? Vlysses etiam voluptatis typum exhibet: dulce propinat poculum, in suavem declinat lumina somnum; dum dormitur, interitur.

III. (c) In adagiis fertur: *Cyclopi donum*, nam Polyphemus delectatus dulci vino, quod illi donârat Vlysses, munus ei promissit; quò acceptò magnopere sit gavisurus, si denuo sibi ministret de sua lagena. Dedit Vlysses iterum atque iterum. Porro cùm jam vîno delinitum, crederet mitiùs responsurum; reposcit Vlysses munus promissum. Cui cyclops hunc in modum respondit.

Ὅστιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἐτάροισι,
Τὸς δ' αἶψας πρόσθεν τοῖδε τοῖ ζηνήϊον ἔσαι.

Homer. Odyss. lib. 9.

Post socios mihi, postremusque vorabitur Vtis,
At reliqui prius: hoc ex me tibi munus habebis.

Sic Micyllus cerdo apud Lucianum, cùm quereretur, quod non statim cum aliis in cymbam Charontis reciperetur, hanc ipsam ei Clotho

(b) Somnolentia & Negligentia pastorum. (c) Cyclopi donum quale.